

M. ANTONII SABELLICI RERVM VENETARVM AB VRBE  
CONDITA AD MARCVM BARBADICVM SERENISS.  
VENETIARVM PRINCIPEM ET SENATVM  
LIBER PRIMVS PRIMAE DECADIS  
FOELICITER INCIPIT.

VONIAM IGITVR SATIS CON-  
stat priscos Venetos & urbis & Imperii  
de quo hęc scripturi sumus conditores  
fuisse, nihil ab re fore existimaui quan-  
do de origine gentis inter ueteres aucto-  
res parum constare uideo: priusq̄ ur-  
bis primordia aperiantur: de illorum  
uetustate aliquid breuiter referre. Fue-  
runt itaq; prisci Veneti non Italiae indi-  
genae: sed ut quidam tradiderunt a Ve-  
netis Gallis oceanis accolis oriundi. Neq;  
hi nomen tantum secuti uidentur: Sed  
quia rei maritimae studium & gloriam:  
qui Adriatici sinus oram tenuerunt: ut  
illi nunq̄ neglexerint: Essentq; iis qui in Gallia sunt si non lingua: moribus  
tamen & ornatu corporis: ut Polybius ait per q̄similes: Alii uero eos e Pa-  
phlagonia profectos affirmant: in quibus est Liuius: Is Pylamene Duce ad  
Troiam amisso: cum Antenore in Italiam uenisse tradit: quod ipsum secu-  
tus Cato Troiana stirpe Venetos procreatos credidit: Cornelius nepos & ipse  
ex Henetis qui Cromnam oppidum circa Paphlagoniam tenuerunt: Vene-  
tos eorum cognomines in Italia ortos existimauit: Quidam Cappadocibus eam  
gentem finitimam tradiderunt: ac cum Cimeriis militasse: posteaq; Adriam  
peruenisse: Alii uicum non longe ab Amastri tenuisse arbitrati sunt: Requi-  
rebantq; interim tota regione Henetos quasi nusq̄ ostenderentur. Sed inter  
omnes fere constat hanc de qua loquimur Paphlagonum esse gentem: quod Xe-  
nodotus non solum credidit: sed Amysum quoq; oppidum id esse existimauit:  
quod in ea terra postea Henetia dicta sit: Ceterum qui ita esse autumant:  
praecipuam utriusq; gentis in equis mulisq; alendis industriam in argumen-  
tum adducunt Homeri usi testimonio cuius illud est: Mularum genus ex He-  
netis quae robore praestent: quum de Asiaticis interim summus poeta lo-  
queretur. Strabo uetustatis auctor diligentissimus nobilissimam equarum  
progeniem usq; ferme ad sua tempora in his Venetis qui Adriatici maris par-  
tem accolunt peruenisse scribit: quarum fama ob eximiam pernicitatem ual-  
de celebris fuisset. Hęc certe atq; alia multa faciunt ut eorum sim sententiae:  
qui cum Antenore Henetos in Italiam uenisse tradunt: ac mutata littera de-  
inde Venetos appellatos. Antenoris aduentum in intimum maris Adriatici  
sinum non solum Veneti testantur qui eius comites fuere: Sed q; locus in  
quem primum egressi sunt Troia est dicta: quodq; Troiano deinde Pago no-  
men mansit. In primo pulsus suis sedibus Euganeis qui eius terrae oram: quae  
est inter mare & alpes incolebant: Patauium condiderunt: Procedente deinde

Vet' de Ve-  
netoz ori-  
gine opi-  
nio

Vera Vene-  
toz origo

Troia Pa-  
gus in Ve-  
netis